

*ationum
spec.*

D I S S E R T A T I O
D E
S E R P E N T E P R -
T O P L A S T O R V M
S E D V C T O R E

Q V A M

A V S P I C E D E O
P R A E S I D E

M. IOANNE HENR. ZOPFIO
GYMNASII ASSINDIENSIS
DIRECTORE

D E F E N D E T
IOANNES ADAMVS SOHNIVS
MEINERTSHAGA-MARCANVS.

IN AVDITORIO MAIORI

AD DIEM APRILIS cIcCXXXIV.
HORIS ANTEMERIDIANIS.



D V I S B V R G I ad R H E N V M,
Typis JOHANNIS Sas, Academiae Typographi.
Anno cIcCXXXIV.

DISSEMINATA
OMNIS TERRA EXCEPIT
ULTIMA TERRA
ODIE
GREGORIUS MAGISTER
HISTORIUM
POTESTUS
ET SERVUS
CONSERVATOR
REX VENIENS
CATO
MAGISTER
MAGISTER
PARTITIONE PRO DECESSORE
GYMINASI ASSISTENS
DILECTUS
VIRIS
PERANNOBATIS
CONSULTEBANTUR
IO ALEXANDRUS
MUNICIPALIS
DN HERMANUS ROTUNDUS
LAUD MUNICIPALIS
AD PROCONSULARE
DNI ALEXANDRI HERMANUS
LAUD ET ABOSATO ORDIUM TAME
TAL COLLEGACANTORUM DOBO
CIVITATE RERUM MUNIBUS
SOCIETATIBUS
ZEPHYRUS
ANNA GLOOCOKKUS

GENERO SO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

DN. ADAMO HENRICO
DE POLL MANN,

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE
ET SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO INTIMO, EIVSDEM QVE, IN INFRA-
RHENANO WESTPHALIAE CIRCULO, LE-
GATO ORDINARIO, COMITI PALATI-
NO CAESAREO, ETC.

PATRONO SVO DEMISSISSIMO MENTIS
CVLTV PROSEQVENDO.

V T E T

V I R I S

PRAENOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
PLVRIMVM REVERENDIS, DOCTISSIMIS,
AMPLISSIMIS

DN. HERMANNO POLL MANNO,
I. V. D. REIPUBLICAE LVDENSCHEDENSIS
CONSVL DIGNISSIMO.

DN. IOANNI HENRICO POLL MANNO,
I. V. D. ET ADVOCATO ORDIN. FAMIGE-
RAT. COLLEGII SCABINORVM, QVOD
CLIVIAE EST, MEMBRO
SPECTATISSIMO.

DN.

DN. IOANNI WILHELMO POLLMANNO,
ECCLESIAE EVANGELICO-LUTHERANAE,
QVAE IN LIBERA IMPERIALI CIVITATE SPI-
RENSI FLORET, PASTORI PRIMARIO, PER
MVLTOS ANNOS VIGILANTISSIMO, ET CON-
SISTORII ECCLESIASTICI IBIDEM ADSESSORI
SPECTATISSIMO.

DN. WILH. DEGENHARDO POLLMANNO,
PASTORI APVD HERSCHEDESSES PRIMARIO
FIDELISSIMO.

DN. IOANNI ADAMO POLLMANNO,
ECCLESIAE, QVAE CHRISTO LEICHTINGAE
COLLIGITVR, PASTORI MERITISSIMO.

DN. IOANNI MAVRITIO POLLMANNO,
ECCLESIAE ALTENANAЕ PRIMARIO VERBI DI-
VINI MINISTRO LONGE FIDELISSIMO.

DN. SIGISM. RICHARDO POLLMANNO,
ELOQVIORVM DIVINORVM APVD BVRGENSES
DISPENSATORI MERITISSIMO

COGNATIS ET FAVORIBVS
S V I S
OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTV
MACTANDIS,
HOC QVICQVID EST
SACRVM ESSE CVPIT
RESPONDENS.

P O S I T I O IV.

Serpens Protoplastorum seductor fuit quidem serpens naturalis & verus, non tamen merus; sed ἐνεργέμενος, hoc est, a diabolo, scenae illius tragicae auctore & actore, obsessus.

§. I.

Communis haec sententia est, atque omnium paene interpretum calculo, ab antiquissimis inde saeculis, adprobata. Quam eo confidentius defendendam suscipimus, quo plura & grauiora pro sensu litterali textus Mosaici Gen. III. militant argumenta. In quibus explicandis ita nos geremus, vt obiectionibus ex aduerso obmotis, non minus modeste, quam cordate, obuiam simus ituri.

§. II. Argumentum PRIMVM nobis suppeditat *natiua & propria vocis ψῆπι significatio*, qua verum & naturalem serpentem designat, a *curiosa & sollerti observatione* dictum, cui respondet Graecum vocabulum ὄφες, ab ὄπτω, quia, vt ait SCAPVLA, in Lexic. cernit acute serpens, dormitque oculis apertis. Vnde & *oi* LXX. vocem Hebr. ubique reddunt per ὄφες, exceptis Job. XXVI. 13. & Amos. IX. 3. vbi per δράκων exponunt. Loca potiora sunt Gen. XLIX. 17. Exod. IV. 3. Num. XXI. 7. 8. 9. Deut. VIII. 15. Ps. LVIII. 5. Ps. CXL. 4. Prou. XXIII. 31. c. XXX. 19. Jes. LXV. 25. Amos. VII. 17. Jam vero a proprietate litterae, nulla urgente necessitate, recedendum non est. Quod autem praegnans necessitas hic non sit, satis ex eo liquet, quod diabolo istiusmodi operatio in corpora non repugnet. Nec temere credendum est, Mosen hic impropte locutum. Cum enim Historici non sit ἀληγορεῖν, sed plano stilo, propriisque verbis rem, vt gesta est, describere: quanto magis scriptorem diuinum, in re tam ardua, boni Historici partes impleuisse, statuendum erit. Dicas fortasse: si serpentem naturalem, eumque obsessum intellexisset Moses, procul dubio etiam diaboli, tanquam rectoris & caussae principis, fecisset mentionem.

C

Sed

Sed in promptu responso: nimis erat visibilis, non item diabolus. Cum ergo rerum præcipue visibilium historiam describat Moses, id tantum enarrat, quod externis suis sensibus audiuit viditque Eua. Istud vero erat seductionis instrumentum, serpens, quo usus fuerat tentator, cuius adeoque nulla expresse mentio fit, quis externe non cernebatur. Pulchre id expressit PERERIVS, vbi Moysen rei gestae scriptorem ait, non vero interpretem egisse, & idcirco qualis res visa est, talem ab ipso esse descriptam, non item explicatam; quemadmodum revera se haberet. (2) Non ita necesse fuit, ut describeretur satanas ipse, cum cuius attenti facile pateat ex vniuerso narrationis contextu, nullatenus fieri potuisse, ut serpens hic nudus duntaxat fuerit, sed sponte colligat, genium malum sub illo serpente latitasse.

. §. III. Argumentum SECUNDVM fluit e calliditate, tanquam adiunctio serpentis proprio: dicitur enim **סְרִירָה** prudens, **סְלִילָה**, quod serpentis ἐπίθετον tum in natura fundatum, tum in Scripturis vistitatum, serpentem verum & naturalem connotat. Ipsa radix **סְרִירָה** significat idem, quod Latinis **attentum**, **prouidum**, **callidum** esse, & tam in bonam, quam in malam partem accipitur, eandemque LXX. 1 Sam. XXIII. 22. interpretantur per προνέφελον. Vnde & nomen **סְרִירָה**, obseruante SVICERO in ὄψις n. IV. plerique reddunt προνέφελον, **callidum**, **astutum**, **versipelle**: Soli LXX. **φρόνιμον**, **prudentem** interpretantur, nec tamen eo nomine reprehendendi, cum eadem vox passim in Proverbiis prudentem denotet. Quin & ipse Christus hanc interpretationem confirmare videtur, cum discipulos suos hortatur, ut sint prudentes instar serpentum, Matth. X. 16. Ipsum quoque nomen προνέφελος, sicut vi etymi nota ad quodlibet opus promptum: ita in bonam partem pro sollerti sumitur in Proverbiis frequenter. Vid. Pro. XIV. 8. 15. 18. XV. 5. XXII. 3. XXVII. 12. vbi LXX. Hebraicum **סְרִירָה** interpretati sunt per προνέφελος. Quicquid sit, ex ipsa hac genuina & propria vocis Hebraicae notione satis appetet, non nudam serpentis laruum, cui nihil sagacitatis inest; Sed verum & naturalem serpentem hoc epitheto designari. Eadem proprietas sagacitatis naturalis, quae hoc epitheto serpenti a Mose tribuitur, ab Adamo fuit cognita,

gnita, & per nominis **וְרַגֵּן** impositionem indigitata. Radix enim Hebraea, vt antec. §. obseruatum, significat augurari, curiose obseruare.

§. IV. Varia ad infringendam huius argumenti vim ab aliis moueri solent, in quibus haec sunt potiora: dicunt (1) si calliditatem serpenti in se spectato naturalem intelligere velimus, eam tantam non esse, vt Euae persuadere potuerit, se fore fecit ELOHIM, simul ac de arboris fructu comedisset. Non enim quamvis animalis astutiam; sed hanc praecepue, qua hoc ipsum persuadere potuerit Protoplasis, intelligi. ¶ Serpens seductor subiectum compositum est ex serpente naturali, & diabolo obesseiore. Quae de illo praedicantur, ex conditione seu qualitate sua referenda sunt ad partem componentem, cui conueniunt, nec tamen cum exclusione alterius partis, quatenus idonea est ad cooperandum seu concurrendum, saltem per modum instrumenti. Sic homo est subiectum compositum ex anima rationali & corpore organico. Quando de homine praedicatur, quod sit intelligens aut loquens, hoc pro conditione seu natura intellec-tionis & locutionis, non ad corpus; sed ad animam referendum est, non tamen cum exclusione corporis, quatenus vt instrumentum concurrit. Simili ratione persuasio ista, serpenti seductori, cum relatione ad obesseorem diabolum, tribuenda est, neque tamen idcirco naturalis eius sagacitas aut organa, quibus diabolus vsus est, excludenda, vel ipse serpens verus erit negandus. Et quid multa? cum ipsa aduersa hypothesis, per serpentem diabolum, nuda serpentis forma indutum intelligens, non possit non respectum sagacitatis naturalis, qua serpens reliqua animalia superat, admittere. Nam sciscitanti, quo tandem studio diabolus ad fallendam Euam, serpentis praeceps, non alterius animalis formam elegerit, quid aliud respondere possunt, quam serpentis formam, propter naturalem huius animalis sagacitatem, ipsi visam esse adcommodatissimam? Sic ipsa aduersa hypothesis sua tela retundit. Excipiunt (2) Quoquid etiam sagacitatis naturalis serpentibus insit, illud omne creatori debere, ac laude potius dignum, quam vituperio. Hic autem intelligendam esse calliditatem, quae nequitiam spiret, deque serpente naturali, animante prorsus innocuo, dici nullo modo posset. ¶ Non calliditas serpentis meri;

sed obfessi Protoplastos seduxit. Quae sicut vtique vituperio digna est, vtpote a diabolo profecta: ita nondum excludit, in subiecto praesertim composito, naturalem sagacitatem, quam diserte Moses serpenti tribuit. Neque argumenti vim destruit, quod (3) vrgent, de identitate subiecti in verbis: *Serpens erat callidior &c.* Et dixit, seu, adeo, vt diceret mulieri. Vbi propter arctissimam per Vau conuersium connexionem, ita colligunt: *Illi subiecto, quod loqui potuit, tribuitur etiam calliditas.* Atqui serpens naturalis nec loqui potuit, nec fuit locutus, vt fatentur omnes. E. nec calliditas ei tribuitur. R. a.) Concedendo prius argumenti membrum, sed admissa subiecti mutatione ex accidenti. Consequentiam negamus. Nam vtique serpens naturalis, non quidem merus, sed per adiuentiam a diabolo informatus, loqui potuit, & reuera fuit locutus: falsum est ergo, illi non tribui calliditatem. Finge sermonem: Homo sanctitate perfecta Deum coluit, & Deum peccato offendit. Idem manet subiectum, sed ex accidenti mutatum. b.) Perinde hoc est, ac si quis ex Hebr. I, 2. ad hunc modum vellet arguere: Locutio tribuitur eidem subiecto, quod fecit mundum. Atqui hoc non fuit homo. E. nec locutio ei tribuitur. Quis hanc sequelam admittat? Loquitur enim Apostolus de subiecto composito, puta de Filio Dei ἐνδόξῳ, seu de Christo θεαθρόπῳ, in quo duae naturae, diuina & humana, personaliter sunt vnitae. Eidem igitur subiecto tum creatio mundi, tum locutio tribuitur, sed diuerlo respectu ad partes totius complexi. Parem in modum, quae hic Moses de serpente seductore, tanquam subiecto composito praedicat, esse accipienda, ex supra dictis manifestum est. Atque ita argumentum, a calliditate, tanquam adiuncto serpentis proprio defumtum, sua adhuc gaudeat integritate.

§. V. Argumentum TERTIVM nobis exhibet Σύγκρισις Moysica, qua serpens ille non Angelis; sed cunctis bestiis agri, quas Deus creauerat, callidior fuisse dicitur. Vnde satisclare intelligitur, serpentem illum, non personatum & nuda specie talem; sed naturalem e numero bestiarum fuisse. Proximum quidem, quod ex ista comparatione consequitur, est, quod & reliquae bestiae suo modo fuerint callidae, serpens autem sua calliditate omnes superarit. Hoc enim

enim comparatio gradus exigit, vt comparata de similitudine seu ratione comparandi participant, alterum minus, alterum magis. Sed secundo ex natura comparatorum etiam hoc intelligitur, quod serpens bestiis adnumeretur. Tanto enim differre non debent comparata, vt alterum comparationis membrum rationis comparandi non sit capax, nisi ineptam aut plane impropriam comparationem velis adserere: Prout hoc loco inepta foret comparatio inter astutiam diaboli & bestiarum agri. Nam Cacodaemonem bestiis agri callidorem esse, quid mirum? Num talia commemorare aut operae pretium, aut Mose dignum erat? Recte VRSINV S in *Analect.* P. I. Lib. I. c. 5. p. 337. a PFEIFFERO in *Dub. Ver.* allegatus, iudicat, *nimiris inficietam fore comparationem solius diaboli cum omnibus bestiis, haud absimilem isti: Homo disciplinae capacior est omnibus animis.*

§. VI. Qui contrariam tuentur sententiam, serpentem non hic adnumerari brutis; sed ab omnibus bestiis agri per particulam Δ distinguunt, adeoque non serpentem physicum, sed solum Cacodaemonem designari contendunt. Quod ipsum phrasibus simillimis ex ipsa Scriptura Sacra peritis probari posse existimant. Prouocant (1) ad locum Luc. XVIII. v. 14. vbi publicanus iustus dicitur praे Phariseo: nec tamen inde consequi, vt Phariseus etiam sit iustus. $\beta.$ Nulla consequentia, frustra argumentum nostri consequentia follicitatur. Nam ex isto exemplo conclusio foret: reliqua animalia agri non fuisse callida. Sicut autem publicanus non negatur iustus, ita nec serpens callidus. $\beta.$) Quidni in comparatione iustitiae vere cum imaginaria, illa huic preferatur? Phariseus quod esset δ in aso, iustus, v. 9. sibi persuadebat. Huiusmodi manca & insufficiens iustitia Pharisaei tribuitur Matth. V. Citant (2) locum ad Hebr. 1. 9. ex quo ita colligunt: *Christus unctus dicitur præ confortibus suis, i. e. Angelis.* Ergone etiam Christus Angelus est, & ad eorum classem spectat? Ita Pauli argumentum falleret, neque scopum feriret, quo Christi sublimitatem & divinitatem, quodque ipsis Angelis maior sit, corroborare nitebatur. $\beta.$ Qua autem veri specie per confortes Christi, Angeli erunt intelligendi? Recte B. GEIERVS ad Ps. XLV. ex quo Apostolus hoc sacrum dictum descripsit, explicat de iis, qui vel ratione typi, vel communis humanae naturae, vel

spiritualis regenerationis, socii Messiae fuerunt ac sunt, 1 Joh. II. 20. 27. Christus nempe Spiritu S. vnc̄tus est εν τῷ πνεύματι, Joh. III. 34. & ex eius plenitudine, quotquot per fidem cum ipso coniuncti sunt, omnes accipiunt, Joh. I. 16. Vide Venerab. D. MICHAELIS Comment. in Ps. XLV. 8. Ad scopum quod attinet Apostoli Hebr. I. est is utique, praecellentiam Jesu praे Angelis demonstrare: verum infinitam illius praecellentiam, non ex qualicunque praे Angelis prerogativa; sed ex diuinitate probat ḡ. 3: quod sit a Patre genitus, ḡ. 4. a cultu, quem ipsi debeat Angelis, ḡ. 7. 8. 9. a comparatione naturae Angelorum, cum natura Iesu Christi, dum illi quidem existerent substantiae immateriales, subtilissimae, efficacissimae, purissimae, lucidissimae; sed JESUS Filius sit ipse DEVS, quod probat Apostolus praesenti dicto, in quo plus vice simplici Deus adpellatur, & talis quidem Deus, cui regnum aeternum competit. Cum vero Psalmus Filium Dei, ut Messiam sistat, adeoque simul humanam naturam Filio vnitam, eius vocationis praे confortibus meminit. Quod praedicatum vocationis cum subiecto conexum, Apostolus, dictum illud allegando, ab eo auellere non poterat, quanquam non aequa, ac subiectum, scopo ipsius inserviret. Vrgent (3) phrasin, qua Christus, quoad diuinam naturam, dicitur primogenitus omnium creaturarum, Col. I. 15. cum tamen ideo secundum illam quoque naturam non sit creatura. R. Non hoc quadrat iste loquendi modus, utpote in quo nulla occurrit comparatio. Dicitur enim πρωτότοκος πάντων κτίσεως, pro τετοναῖς πρὸ πάντων κτίσεως, genitus ab aeterno, ante omnem creaturam; vt i Cor. II. 13. πνευματικῆς πνευματικὰ συγκρίνοντες, pro σὺν πνευματικοῖς. Item Phil. III. 11. ξανάσασιν τῶν νεργῶν, pro ἀνέσασιν ἐκ τῶν νεργῶν. Prouocant (4) ad 2 Sam. XIV. 17. 20. vbi Dauid comparatur cum Angelis, dicaturque prudens, vt illi, nec propterea tamen fuerit Angelus. R. Et haec phrasis aliena est, neque scopum ferit. Nam comparatio haec simplex est Dauidis cum Angelis intuitu sapientiae, sed nullus gradus comparativus, de quo sermo est in loco controverso, Gen. III. 1. Neque (5) ad rem facit locus, 1 Sam. XXIV. 18. vbi Saul ad Dauidem: *Iulus es, inquit, pra me.* Vnde hoc absurdum putatur consequi, quod etiam Saul fuerit iustus. R. Saul ipse

se comparat cum Dauide, non Spiritus S. Quis vero dubitet, Sau-
lem se iustum reputasse?

§. VII. Argumentum QVARTVM subministrat generalis illa maledictionis formula in serpentem pronunciata, hoc modo: *Male-dictus tu es praे omni iumento & praे omni bestia agri.* Quæ verba aperte indicant, Deum, ob peccati atrocitatem, & sessorem Diabolum, & eiusdem organum, naturalem videlicet serpentem, puniisse: quale quid in detestationem sceleris fieri debuit per leges diuinæ Exod. XXI. 28. 29. Leuit. XX. 15. Deut. XIII. 15. Quæ loca cum egregie rem illustrent; nihil absurdi dixerimus, si serpentem fuisse naturalem, & poena a Deo adfectum adseramus, quoniam illo ad hominem seducendum abusus fuerat Diabolus. Sunt tamen, quæ & hic excipient aduersæ sententiae defensores. Dicunt (1) *Inauditum quid esse, brutum a iudice aliquo in iudicium vocari, eique sententiam promulgari, quam intelligere non posset.* R. a.) Si nuspam alibi foret auditum, satis esset hoc loco audiri. Neque tamen adeo insolitum esse Deo, sermones aliquando instituere ad creaturas irrationales, compluribus constat Scripturae locis. Sic animalibus dicit Deus: *Crescite & multiplicamini.* Moses adlocutus est rupem, Josua solem, Christus sicum. Quin Deus & sua animantibus iussa dedit, quæ tamen nullo modo percipiunt, *vti corvis,* 1 Reg. XVII. 4. *locufisis,* 2 Chron. VII. 16. *pisibus,* Jon. II. 10. *Serpentibus,* Amos III. 9. b.) Serpens verus quidem, nec tamen merus; sed totum complexum, iudicio, si modo formale sit statuendum, fistitur. Sicut autem poena; ita & iudicium, respectu serpentis bruti, analogice intelligi debet. Excipient (2) *Poenam tum locum habere, si illud tantum individuum, quo Diabolus r̄sus esset, puniunt fuit, & non aequæ omnes serpentes, secundum v. 14. aut duobus tantum existantibus, uno, quod peccarit, punio, non aequæ alterum puniunt fore.* R. Si poena proprie dicta intelligeretur, obiectioni huic aliquid roboris inesse videretur. Sed talis non cadit in creaturas ratione priuas, ob quem defectum nec proprie dicuntur peccare. Cur vero creator iniurius in creaturam dicendus sit, si ad ostendendam hominibus peccati atrocitatem, signum eius in serpente eiusque socia, vel tota specie spectandum præbeat? Excipient (3) *citata loca, quibus DEVS animan-*

*animan*ia crimi*n* obnoxia, simul morte plectenda praeceperit, nibil probare. Deum enim illud tantum animal, quod v. g. in Sodomiae flagitio obnoxium fuerit abusui, per ignem puniendum sanxisse, reliqua non item. ¶ a.) Hoc probant dicta citata, quod bruta in detestationem sceleris, per leges diuinas, punienda fuerint, adeoque non inauditum esse, bruta puniri. Quanquam, vti dictum, analogice tantum poena dicenda sit. b.) Pecora ista, Deut. XVIII. cum idolatris delenda, ne quidem criminis fuere soci*a*, vel instrumenta, & tamen in detestationem sceleris simul punienda erant. Quanto minus ergo iniurias argui poterit creator, si serpentem, sceleris nefandissimi organum, vna cum auctore puniu*e*rit, atque, vt posteris Adami, eidem culpae inuolutis, atrocitatis istius perpetuum extaret signum, serpentis sociam, immo totam serpentum speciem, eidem maledictioni subiecerit. Obuertunt (4) Serpentis poenam, ratione illius dividui, quod Satan obsederat, iusto leuorem esse, cum animal Sodomiae obnoxium, quo vel unus tantum homo abusus esset, trucidandum vel abolendum esset penitus: Serpens autem, per quem Satanas homines in uniuersum omnes seduxerat, poenam tam leuem fuisse subiturus. ¶ Justitiae ratio distributiva vt seruetur in poena improprie dicta, non est necesse. Haec a liberrimo & sapientissimo creatoris dependebat arbitrio. Abolere penitus non conueniebat, ne signum detestandi sceleris aboleretur, quod exstare maxime intercerat.

§. VIII. Argumentum QVINTVM merito ducitur ab illis phrasibus, quibus sententia iudicaria concipitur, praesertim, vbi serpens super ventre ire a Deo in poenam iubetur, Genes. III. 14. Non solum diabolum, sed naturalem quoque serpentem, hic indicari, tum expressa serpentis propria pars ~~in~~ ventre; tum poenae conditio arguit. Quamuis enim haec verba, in sensu allegorico, ad seductorem principalem, diabolum, quoque spectent, vt supra fuit concessum: sensus tamen allegoricus litterali subest, adeoque in allegoria ista vtique supponitur, serpentes, per naturam primitus institutam, in ventrem non serpere. Quod ipsum pluribus VITRINA Comment. in Iesa. c. 65. v. 25. p. 921. declarat. Vnde & illis adsentiri neutiquam possumus, qui existimant, eadem semper figura & forma corporis fuisse serpentem: phrasin autem, ire super ventre,

de

de sola *aggravatione* explicant, quod, versa natura, omnis agilitas suppressa, & ob Dei maledictionem, in supplicium, res facta sit laboriosa, vti partus mulieri, nuditas corpori. Quam sententiam defendit GROTIUS ad h. l. BOCHARTVS in *Operibus* Col. 842. & in *Hieroz.* Part. I. Lib. 1. Col. 23. B. FRISCHMVTHVS in *Diss. de Sedu^tione serpentis antiqui*, quae exstat in *Thefaur. Theol. Phil.* Tom. I. p. 57. seqq. & recentissime ex *Reformatis* FRANC. FABRICIVS in *Diss. de Prot-Euangelio*, Lugd. Bat. 1713. ReEtius ex hac ipsa phraſi ſentire nobis videntur, qui serpentem antehac in pedes erectum incessim autumant. Quamuis enim nonnulli cum Aristotele, *Libro de inceſſu animalium*, Tom. II. Oper. c. 8. fol. 162. Edit. Paris. neceſſariam in ſerpente *διοδίας* exiſtunt, quod neque duo, neque quatuor pedes eidem ſufficienter, propter enormem corporis longitudinem: neque tamen ex conditione praefenti serpentis, ſatis tuto de primaeva ſtatuitur.

§. IX. Fuerunt certe in ea opinione, quod ſerpens ante lapſum pedibus fuerit inſtruetus, priſci quidam ſcriptores, nec deſunt mo- dernes. Inter Judaeos JOSEPHVS Antiquit. Lib. I. cap. 2. dicit: *Deus ſerpentem, pedibus priuatum, fecit, ut per terram traheretur.* Neque hoc propterea reiiciendum censemus, quod idem plura ad- dat, quae adſenſum non merentur. Ex antiquis Ecclesiae Christia- nae ſcriptoribus, vnuſ ſufficiat BASILIVS M. de *Paradiso*, vbi ſerpens, inquit, non erat formidabilis, & horrendus; ſed mitis & mansuetus, nec fluctuans terribili modo ſuper terram & repens, ſed ſubli- mis incedens in pedes. Ab hac ſententia non abludit LVTHERVS ad h. l. dum ſerpentem ante peccatum, ait, *pulcherrimam fuisse bestiolam, & homini gratissimam, ſicut hodie ſunt binnuli, oves, catelli.* Addit, quod erectus ingressus fit, non vt homo; ſed vt cervus aut pauo, nunc vero humi ſerpat. Calculum ei ponunt B. HVNNIVS, DIETE- RICVS, PFEIFFERVS, pluresque alii, a FRISCHMVTHO diſſert. cit. commemorati, cap. 1. Quibus addere licet PASCHIVM, *Diss. de Sedu^tione ſerpente*, cap. 1. IO. CLERICVM in *Comment.* ad h. l. non quidem diſerte adeo id determinantem, ita tamen, vt le-ctoris arbitrio rem committat: TAPPENIVM in *diss. inaug. Helmſt. 1703. de Semine mulieris, caput ſerpentis contrituro.* §. LXV. p. 49.

§. X. Non adeo nota quidem , sed attentione tamen digna est sententia Praefulsi cuiusdam Anglicani , THOMAE TENISON , of *Idol Discours c. XIV.* p. 354. In plagiis orientalibus & meridionalibus , ait , inueniri genus quoddam serpentum alatorum , flammæque instar rutilantium , ad quos sacri Scriptores passim adludant . Sic apud Jesaiam cap. XIV. 29. legi haec verba : *E radice serpentis exhibit basiliscus , cuius fructus erit prester volans.* Huiusmodi Presteres (Græce ἄρνητες ab accendendo dicti , quia hominibus igneos quasi infligant morsus , teste Aeliano de *natura animal.* Lib. VI. c. 51. & Lib. XVII. cap. 4.) serpentes illos fuisse statuit auctor , quos olim Deus in poenam Israeliticis immisit , vt pote quos Moses Num. XXI. 6. vocat *הַנְחִשׁ שָׂרֵף* , quod Vulgatus reddit , *serpentes ignitos* , Vatablus *vrentes* , a ἥρα *vfit* , *incendit.* LXX. vero τὸν ὄφεα *θαυμάτων* , *serpentes mortiferos.* Vti & Deuter. VIII. 15. dicitur *נָחָשׁ שָׂרֵף* *serpens adurens.* Horum animantium cum insignis sit celeritas & fulgor , sub illorum imagine ardorem & puritatem geniorum coelestium credit adumbrari , qui secundum Elsa. VI. 2. thronum Dei circumfistunt , ardentes desiderio exsequendi mandata Dei. Idem tradit TENISONIVS , genios bonos , quoties specie visibili hominibus adparuerint , formam presterum volantium adsumisse , vnde & Seraphini , h. e. vrentes dicentur . His ergo suppositis contendit auctor , Euam , quae procul dubio tum ignorauerit , Angelos quosdam fuisse lapsos , hac Seraphinica similitudine deceptam , ac dignitatem personæ , quam sibi persuaserit in colloquio descendisse fecum , verbis ad eam prolatis tantum adiecisse pondus . De his vid. IAC. SAVRINI , Pastoris quondam Euangelici Hagae Comitum , *Discourse über die ganze Bibel* P. I. pag. 32. Edit. quæ Lipsiae prodiit An. 1722.

§. XI. Ingenue quidem fatemur , in quibusdam laudatum auctorem aliquanto liberius , quam par est , suis indulgere coniecuris. Quae interim de eximia serpentis Paradisiaci specie tradit , cur absurditatis arguenda sint , non videmus . Quamuis enim , quae forma serpentis ante maledictionem fuerit , præcise definiri nequeat : hoc tamen e poena ipsi inficta satis manifestum est , formam serpentis fuisse aliam , magisque conspicuam & elegantem . Immo ex 2 Cor. XI. 3.

XI. 3. coll. cum §. 14. haud obscure colligi potest, Seraphinica specie diabolum adparuisse, adeoque eo usum organo, quo subinde Angeli boni se Protoplantis conspiciendos praebuerant, hoc est, illustri admodum & splendido. Hoc ipsum quoque innuit B. IOANNES HENRICVS MAIVS *Dissertat. Sacr. Lib. V. c. 1. §. 22.* vbi statuit, Satanam animal inter omnes bestias astutissimum & specie pulcherrimum, in serpentino genere, Draconem, obsedisse, fundamento coniecturae defumto ex Apocal. XII. 9. Vid. eiusd. *Oeconomiam temporum V. T. c. IV. §. 3. p. 239.* Quiequid sit, hoc ab omni verosimilitudinis specie abhorret, ea forma serpentem, qua nunc est, satis idoneum & speciosum seductionis instrumentum Cacodaemoni praebuisse.

§. XII. Sed audiamus iam ea, quae hic adferuntur in contrarium. Dicunt (1) *Sic nihil obflare, si coniecturis indulgere licet, quo minus etiam cum Iudeis dicas, loquelam serpenti illi fuisse tum temporis propriam, ipse post lapsum ademtam.* R. Quia per maledictionem ad instar poenae serpenti imponitur, ut in ventrem serpat, adeoque pedibus priuata sit, non coniecturis inanibus indulgetur, sed conccluditur ex regula naturali: *Priuatio supponit habitum.* Nec vero aeque legitur per maledictionem serpenti loquela fuisse ademta, vt simili arguendi modo ad loquelandam ante lapsum colligere possis. Regerunt secus sentientes, adlatum canonem tum demum valere, si de priuatione certo constet. Sed haec exceptio eo minus contraria nobis est, quo certiora priuationis in ipso textu vestigia adaptant. Neque obstat, quod (2) vrgetur, *nimum sic videri iustitiae diuinae rigorem, quippe quae grauius puniuisset serpentem, (οργανον Satanae passuum, & legis, adeoque & peccati expers,) quam hominem aut Satanam, qui, cum longe grauius deliquerint, neque tamen in horum substantia quicquam fuisse mutatum.* Nam R. a.) Poena cum hominis, imaginis diuinae iacturam passi; tum ipsius etiam Satanae, infra omnium creaturarum sortem depresso, satis omnino grauis fuit, atque illud serpentis incommodum, si vere aestimes, longissime superans. b.) *Iustitiae rationem distributiuam in poena serpentis improprie ita dicta, non habere locum, supra iam fuit obseruatum, ad fin. §. VII.* Quod obmouetur (3) *Innumeras nobis ob oculos versari*

sari reptilium species, quibus cum serpente fere quovis hoc, ut nullis pēdibus infstant, commune sit, cum tamen nullum inde sentiant incommodum; ad hoc respondere liceat cum PROCOPIO ad Gen. I. cuius verba (citante SVICERO, sub voce Σηρπος) latine ita sonant: *Serpentum vero genus inter reptilia non ponitur, iuxta Scripturae consuetudinem, sed bestiis adnumeratur, prudenter enim dicitur omnibus bestiis.* Quod ergo reptilibus naturale & commodum est, id serpenti praeter naturale ac molestum contingit, aequae ac aibus leui volatu praeditis foret incommodum, si iis humi reptandum esset. Ad haec reptilia incessum habent satis commodum pro alimentis, quibus naturali appetitu delectantur, adquirendis: sed serpentes natura adeptentes vinum, frutices, carnes & alia delicatioris gustus, (de quibus vid. GERH. IO. VOSSIVS de *Idol. Gent.* L. IV. c. 53.) ad illa sibi comparanda incessu perquam incommodo vtuntur. Sed hac ratione, id quod (4) obiicitur, videmur nouam creaturarum speciem, finito creationis Hexaemero, a Deo productam statuere, qui tamen ab omni opere quieuit, nec euulps serpenti pedibus, carne & cute partem laesam clausisse, & reliqua alia mutasse, dicendus est. Et Non ideo noua creaturarum species a Deo producta statui debet, cum eadem permanserit, in multis licet, post peccatum introductum, deterioris conditionis. Et cum in natura paucim animantia pariter ac plantae miram saepe patientur metamorphosin; nemo tamen illico nouæ creationis opus esse contendit. Cur ergo noua creatio dicenda sit, dum, ipso praeiente textu Mosaico, statuimus, serpentem, in perpetuam lapsus memoriam, pedibus a Deo priuatum, salua substantia, aliqualem formae externae subiisse mutationem?

§. XIII. Sed pergimus ad argumentum SEXTVM, quod nobis suggesterit pars illa maledictionis diuinæ, qua serpens iubetur puluerem comedere, per dies vitae suae: id quod apprime conuenit serpenti, eumque naturalem fuisse in seductionis negotio, luculentissime evincit. Qui contraria tuentes sententiam, excipiunt (1) Experienciae repugnare, serpentes solo ritu puluerulento contentos viuere, cum in vulgo notum sit, delectari eos pomis, pane, carnis, & quae sunt reliqua. Sed et. a.) Cum serpenti in Paradiso poenae loco

loco imputetur, fore, vt dehinc vescatur puluere, recte ex eo colligitur, serpentes in prima naturae institutione sic factos non esse, vt vescantur puluere. β.) Serpentes solo puluere contentos viuere, nemo, opinor, facile dixerit. Nec vero est simile, vllum animal ex puluere viuere, cum in eo nihil sit nutrimenti. E terra, in qua succosum quid est, facilius concederim, ait VITRINGA in *Comment. ad Jes. LXV. 25.* p. 921. b. T. II. γ.) Concessio, quod BOCHARTVS ex Aristotele *Hist. Animal.* L. VIII. c. 4. demonstrat, serpentes inter πνευτάτας τῶν ζώων, cupediis deditos prae ceteris animantibus: Velci tamen puluere dicuntur, vt idem BOCHARTVS tradit, non, quod vescantur solo puluere, sed quia, cum humi repant, fieri non possit, quin puluerem bene multum in os cum aliis cibis simulingerant. Excipiunt (2) hanc poenam serpentibus non fore peculiarem, cum idem aliis reptilibus vsu venire soleat, vt cum cibo aliquid pulueris degluriant. δ.) Poenam maledictionis cetera quoque animantia tetigisse, a Scriptura Sacra non est alienum. Idque vel ex hoc loco constat, quo serpens maledictus dicitur prae omnibus bestiis & animantibus agri. β.) Cum reliqua animantia, vel reptilia puluere vescuntur, naturali feruntur adpetentia. Docet enim BOCHARTVS *Hieroz. Part. I. Lib. I. c. 4.* quaedam natura adpetere terram, & ex ea viuere. Hoc igitur iis non aque molestum est, ac serpentibus, qui id contra naturam suam faciunt, cum prae aliis animantibus cupediis dediti sint.

§. XIV. Argumentum SEPTIMVM pro sententia communis militans, nascitur ex verbis sequentibus: *Et inimicitudinem ponam inter te & mulierem, tuumque & illius semen.* Quae verba, licet in sensu allegorico omni sua virtute ad Satanam spectent, bellumque illud ἀπορθόν ac perpetuum inter diabolum cum suo sodalitio, & Messiam cum suo consortio, designant: neque tamen dubium, quin litteraliter quoque serpentem physicum, cacodaemonis organum, simul tangant, vt vel in serpentibus hostile & inimicum diaboli aduersus homines ingenium conspicendum se praebetur. Experientia certe testatur, hominis in serpentem odium esse capitale, & contra serpentis in hominem, adeo, vt in proverbiis abierit iam Horatii

aeuo & ante, de odio implacabili, scilicet, *quid cane peius & angue odire*. Auctor est SAM. BOCHARTVS in *Hieroz.* Lib. I. c. 4. de hominis & in specie mulieris serpentisque odio mutuo & interneuius. Idem confirmat, ex mutua vtrinque antipathia bellum homines inter & serpentes vigere aeternum: ita tamen, ut hominem vestitum absque metu serpens insequatur, nudum contra timeat, ac ne attingere quidem audeat, si vera traditio, quam ex Epiphano, Hieronymo, & Isidoro refert BOCHARTVS. Quod si foret, per instinctum naturalem sic facti Paradisiaci quasi memor serpens existit, vbi nudum seduxerat hominem, & nudo homine praesente, sententiam Dei iudicis condemnatoriam accepit. Quicquid sit, hoc certum, dissidium quoddam inter serpentes & hominem comprehendendi singulare. Nam ut multi vel viso serpente exhorreantur, ita vicissim serpens homine conspecto contremiscit, & in latebras se recondit. Hinc Aristoteles narrat Lib. III. de *Hist. Animal.* c. 29. plurimi serpentibus saliuam humanam sic aduersari, ut consputi enescantur. Et a PLINIO Lib. VII. c. 2. & Lib. II. c. 63. memoriae proditum est, serpentem, homine percusso, non amplius recipi a terra, *sicque terram ipsam, hominis caussa, poenas a serpentibus exigere*. Infenissimam sane naturam serpentes, in vindictam a Deo immisiti, aduersus Israelitas in deserto demonstrarunt. Num. XXI. Quae immisio, quamuis miraculosa fuerit; non minus tamen erat miraculum, quod Deus arcendo ab Israelitis serpentes, quibus desertum abundabat, per eos quadraginta annos patraverat. Cuius miraculi Moses ipse mentionem facit, dum Deuter. VIII. 15. ne extollat se, inquit, *cor tuum, & obliuiscaris Iehouae, Dei tui, qui duxit te per desertum magnum & formidabile serpentis, presteris & scorponis*. Frustra hic excipitur, alia quoque animantia, lupum, tigrim, leonem, crocodilum, homini esse infesta, ut adeoque serpens prae reliquis nihil in eo peculiare habeat. Nam p. (1) Inter omnia animantia nullum vulgo magis insidiatur homini, vel perniciosius effundit venenum, quam serpens. Adeoque hinc odium, horror, nocendique studium maius: id quod maledictioni serpentis singulari omnino debetur. (2) Accedit seductionis in Paradiso memoria, quae horrorem & odium auget, arcano naturae instinctu ad id stimulante.

Quod

Quod quibusdam sunt in deliciis serpentes, inter prodigia reputandum est.

§. XV. Argumenta haec erant *interna*, hoc est, ipsi textui Moysaco indita. His duo subiectum *externa*, sententiae nostrae non parum ponderis additura. Scilicet argumentum OCTAVVM ducimus a *natura serpentis magica*, eiusdemque abusu idolomanico. Constat nimirum (1) vix nullum inueniri genus animalium, quod incantationibus magicis carminibusque magis subsit, quam serpentes & dracones. Quod quorsum pertineat, praecclare ediscerit AVGUSTINVS Lib. II. de Gen. ad lit. c. 28. *Quod magis*, inquit, *habet usus*, *serpentes moueri carminibus hominum*, *quam nullum genus animalium*, *etiam hoc non parua testificatio est*, *naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio*. *Gaudent enim daemones*, *banc sibi potestatem dari*, *ut ad incantationem hominum serpentes mouant*, *ut quilibet modo fallant*, *quos possunt*. *Huc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam*, *quod sit eis quaedam cum hoc genere animalium familiaritas*. Atque hinc etiam obseruatur, (2) Daemones in serpentibus frequentius habitare, quam in aliis belluis, & habere in illis quasi proprium, familiare & antiquum domicilium, in quo hodieque hominibus miseris, vti olim Protoplasis, illudere possint. Memorabile exemplum refert VALERIVS MAXIMVS lib. I. c. 8. de serpente, seu dracone maximo Epidaurio, qui sine dubio a diabolo fuit incantatus & gubernatus. Cum enim Romae pestis miris grassaretur modis, & incolae primarii metuerent, ne populus interiret omnis, suauem suorum legatos miserunt ad Epidaurum, quod scirent, ibidem detineri insignis magnitudinis serpentem, in Aesculapii honorem cultum, ac proinde Aesculopianum dictum. Hunc igitur petiuerunt sibi concedi, vt Romanum nauigio aduetus, pestis inhiberet facuitam. Mirabile autem dictu est, quod ingens ille serpens magna nauis vectus, placari sepe passus fuerit cibis delicatis, vt sponte sua in nauem ingredieretur. Mirabile etiam erat, quod, cum in itinere nauis in portu quodam staret, vastissima haec bellua, e naui quidem egressa, in syluam se proripuerit vicinam, tandem vero in nauem redierit, Romamque fuerit deducta, ibique cum gaudio & tripudio ineffabili excepta & honoribus culta diuinis, itidem ultra in locum

locum illum, quem ipse praeparauerant, secessit. De quo exemplo vide iudicantem FRANZIVM in Hisp. Animal. p. 748. & WALTHERVM in Quadragena Míscellan. Theolog. Diss. I. Eandem historiam OVIDIUS Lib. XV. Metam. late persequitur, ex quo pauca trademus:

*Incerti, quid agerent, Proceres ad templa petiti
Conueniunt operosa Dei: quaque ipse morari
Sede velit, signis coelestibus indicet, orant.
Vix bene deserant, cum cristis aureus altis
In serpente Deus prænuncia fíbia misit.
Territa turba pauet: cognouit numina caſtus
Euinctus vitta crines albento sacerdos.
En! Deus est, Deus est, animis linguisque fauete,
Quisquis adeſt, dixit: sis, o pulcherrime, viſus
Vtiliter, populosque iuves, tua sacra colentes.*

Atque id quidem est, quod haud perfunctione obferuandum (3) Religiosum Cacodaemonis, sub figura serpentis, cultum, ab antiquissimis inde temporibus adeo confuetum fuisse, vt haec sacrorum foeditas nullam fere gentem intactam reliquerit. Ipsos IVDAEOS diabolus eo dementiae impulit, vt in serpentis imagine sacrificia fíbi pararent. Qui quidem respexerunt ad serpentem aeneum a Mose erectum: sed Satanás, ad idolomaniam eos instigans, seduxit illos per hunc serpentem, eo ipso significans, se pristinum suum flagrema, quod in Paradiso instruxerat, in Dei populum reduxisse. Miseros porro ETHNICOS omnibus subinde temporibus Cacodaemon usque adeo excoecauit, vt serpentes, dracones, colubros, religiosa colerent veneracione. Et quamuis hic cultus prudentioribus fuerit symbolicus; simplicioribus tamen ac rudibus erat proprius, quo nihil diabolo gratius fuit & acceptius, propterea quod hoc instrumento adeo foede primis illufisser parentibus. De AEGYPTIIS Sap. XI. 16 refertur, quod coluerint & religiose adorauerint ἀλογα ἐρτερα, mutos serpentes, vt Vulgata reddit, LVTHERVS, unvernünftige Würme i cuiusmodi sunt præ ceteris insigniores, serpentes, aspides, dracones, crocodili. Confirmat hoc ipsum AELIANVS Lib. XVI. c. 5. Aspides ab Aegyptiis τημάθαι ιχνεως, vehe-

vehementer coli. BABYLONIOS porro fuisse Draconicolas, vel
 ex Fragmentis Danielis constat. Neque dubitandum est, inquit
 HEINSIVS, *Aristarchi sacri cap. I.* quin Pythius Apollo, hoc est,
 spurus ille spiritus, quem Abaddon Hebraei, Ἀπόλλωνα ad ver-
 bum Hellenistae, ceteri Ἀπόλλωνα dixerunt, sub hac forma, qua
 miseria humana olim generi inuexit, primo cultus sit in GRAE-
 CIA, qui & Pethen dicitur Ps. XCI. 13. Vnde & Apollini, Mi-
 neruae, Aesculapio ac aliis, serpentes consecrarent, & Apollini in
 hoc cum primis templo, in quo diabolus oraculis credulitati homi-
 num illusit, quasi ab hoc veteris serpentis hospite, ac fraudis instru-
 mento, boni pariter ac mali, quod persuasum fuit primis nostri ge-
 neric parentibus, scientia esset petenda. ROMANIS itidem in vsu
 fuisse, spiritum malignum venerari in draconibus & serpentibus, in
 vulgus notum est. Nec minus ὄφιολατρία veteribus Borussis ac
 Lithuaniae incolis, Samogithis item, immo etiam Germanis, fuisse
 vsa receptam, pluribus ostendit MICH. WALTHERVS in *Qua-
 dragena Miscellan. Theol. Diff. I. §. 36.* Inter ipsos etiam CHRI-
 STIANOS genius infernalis quondam Haereticos excitauit, a qui-
 bus non minus fuit cultus sub draconis vel serpentis specie, vnde &
 Ophitarum nomen acceperunt, quod illum colerent, quasi Chri-
 stum, teste EPIPHANIO *Haeres. 73.* THEODORETO Lib. I.
Haeret. Fabul. & AVGVSTINO de *Haeresibus.* Sic ergo diabo-
 lus toti fere mundo stratagemata suum nobile, sub pristino serpentis
 Schemate, semper patefecit. Qua de re digna sunt verba SAN-
 CTII, in *Commentario super Dan. XIV.* quae hoc ponantur:
 Statim, inquit, a mundi constitutione, Diabolus habuit serpentem suis
 rationibus opportunum maxime, & illius ingenium cum Daemonis natura
 perquam apte consentit. Serpens enim callidus est & lubricus, ingredi-
 tur silentio, neque prius irrepere sentitur, quam totus est illapsus. Id
 habet totum Satanam, quare sibi similis consortium amat, & quae sibi
 finge vult idola, aut serpentis speciem habent, aut si qua alia sit imago,
 serpentum saepe spiris implicantur. Quod non olim tantum seruatum est
 a Gentilibus, sed etiam nostra aetate, ut docent exempla eorum, qui re-
 giones huc usque medio oceano clausas aperuerunt, apud quos aut sacri
 putantur angues, aut diuinis inaugurarunt nominibus, aut in idolis ipsis
 insculpuntur.

§. XVI. Argumentum denique NONVM petimus a *communi propemodum Ecclesiae Judaicae pariter ac Christianae consensu*. Nimirum serpentem illum fuisse verum, non merum tamen, sed a diabolo obsessum, credunt & statuunt (1) saniores JVDAEI, & in his maxime, non solum Targumista JONATHAN, qui dicit, *in serpente Euam conspicat am fuisse Angelum mortis, & timuisse, cum iam manum admoveare vollet arbori, ut fructum deciperet, sed & Cabballistae inter veteres Rabbinos.* ABEN - EZRA non quidem suum, veruntamen aliorum quorundam e suis contribulibus, consensum nobis largitur, dum scribit: *Dixit. R. Saadia Gaon: quandoquidem exploratum est nobis, quod non sit sermo scientiae, nisi in homine solo, cogimur dicere, quod SERPENS, etiamque asina Bileami, non locuti sunt, sed Angelus quispiam locutus est per eos.* Et huic quidem Rabbino respondisse R. Samuelem, Ben Chophni: *verum surrexisse R. Salomonem, Hispanum, virum insigniter sapientem, & R. Samueli iterum respondisse, Aben-Ezra non minus testatur.* Porro R. BACHAI fol. 16. super Gen. III. haec habet: *Non sunt nobis inimicitiae magis cum serpente, quam cum ceteris reptilibus. Quam ob rem Scriptura haec mystice innuit, eum, qui in serpente occultabatur. Corpus enim serpentis callidi erat instrumentum aptum ad recipiendam virtutem coniunctam cum eo.* Et ille est is, qui Heuam peccare fecit, unde mors intravit in omnem progeniem eius. Et haec est inimicitia inter serpentem & inter semen mulieris. Et hoc est mysterium linguae sanctae, quod SERPENS alibi appellatur SARAPH, iuxta nomen, quod Angelus appellatur Saraph. His prorsus consentanea tradit R. MOSES Aegypti in More Nebuchim P. II. c. 30. Sapientes in Midrasch commemorant, quid de illo serpente sentendum sit, quod scilicet serpens ille inequitatus fuerit, quodque fuerit magnitudine camelii, & quod inseffor fuerit, qui Heuam decepit, videlicet SAMMAEL, quod quidem nomen simpliciter denotat Satanam. Id quod omnino cum nostra coincidit sententia, iis modo reiectis, quae fabulosa sunt, & Judaeorum nugis propria. Inter recentissimos Rabbinos MANASSE BEN ISRAEL Lib. III. de resurrect. mort. c. 10. dicit consimiliter: *Adamus liber est creatus, sed SAMMAEL sive Satanus, inuidens homini gloriam, abdidit se in serpentem, & eo perduxit Adamum, ut in peccatum*

peccatum laberetur. Idem comprobat Patrum Ecclesiasticorum per-
petuus & constans consensus, testante SVICERO in ὁμιλίᾳ, num. 3.
exceptis tantum uno vel altero, puta, Cyrillo, Augustino Steucho,
Eugubino Episcopo, simulacrum tantum serpentis a diabolo adsum-
tum statuentibus. Vid. PFEIFFERI *Dab. Vex. Cent. I. Loc. VI.*
Cum antiquitate ecclesiastica consentiunt fere omnes Ecclesiae re-
centioris Doctores. Nobis instar omnium sit Megalander LVTHE-
RVS, cuius in Geneseos parua explicatione haec sunt verba *ἰδού
γεφύρως*, Tom. IV. Jen. fol. 24. Moses hat genug angezeigt / daß
die Schlange natürlich ist gewesen / aber der Teuffel hat darinnen ge-
wohnet / darum / daß er spricht / sie habe mit Eva geredet. Denn Reden
ist keinem Thier gegeben / ohne dem Menschen. Darum giebt er klar
genug zu verstehen / daß der Teuffel in der Schlange durch ihre Zunge
geredet hat. Et iterum Tom. VIII. fol. 171. de vltimis verbis Da-
vidis: Offenbar ists / daß Gott hier nicht redet von gemeiner Schlange /
die im Gras oder Wasser läuft / und junge Frösche frist; sondern von
der Schlangen / die zu der Zeit ein schön Thier gewest / und einen ho-
hen Geist bey sich gehabt / auch von hohen Sachen und göttlichen Ge-
boten disputiren können / als hätte ers im Himmel gelernt / welches
keiner Creatur / ohne den Engelen und Menschen gegeben ist / x. r. λ.
Sed pedem hic figimus: cum, quae pro stabienda hypothesi, de
serpente naturali, adlata sunt in medium, luce sua radient, adeo-
que & difficultates, quae ex ea subnasci videntur, facile
exspirent, neque sic ansam praebeant empae-
ctis, veritatem Christianae religionis
iure cauillandi.

F I N I S.

E 2

COROL

(36)

COROLLARIA.

I.

Sancti motus, praesertim CARITATIS & SPEI, sine enormi scandalo, a fide iustificante, per remotionem negationis, auelli non possunt.

II.

Particula Χωρὶς Rom. III. 28. non est separatiua operum internum; sed exclusiua caussalis influxus. Fides iustificans non est ἀργος: sed bona tamen opera in iustificatione non sunt σύνεργα.

III.

Non operari, Rom. IV. 5. idem esse, ac *non habere opera*, melioris notae Theologis huc vsque inauditum. Tò μὴ ἐργάζεσθαι reddendum esse, *non confidere operibus in indicio Dei*, ipse contextus docet aperte. Praeter VINA-RIENSES Vid. HVNNIVS ad h. l. & DANNHA-VERVS Hodoſoph. Phoen. XI. p. 1401. Edit. Argendor. 1666.

IV.

Impios, qui l. c. iustificari dicuntur, notat Apostolus, non perseveranter tales & ἀμετανόητες; sed poenitentes & renatos. Nam hos quoque, propter operum, iudicii diuini rigorem minime sustinentium, summam imperfectionem, stilo Scripturae, citra iniuriam quidem, *impios aut non iustos appellari*, euincunt loca Ps. CXLIII. 2. Dan. IX. 5. x. r. λ.



COROL

(37)

I V V E N I
ORNATISSIMO ATQVE ELEGANTER
D O C T O
IOANNI ADAMO SOHNIO
RESPONDENTI STRENUO

S. D.

P R A E S E S

M. IOANNES HENR. ZOPFIUS.

Nihil acque ad leuandas praeceptorum aerumnas facit,
ac si quos in coetu sibi coneredito probos bonaequae frugis
alumnos numerare possint. Nunquam sunt Scholae atque
Gymnasia fine aliqua bonorum malorumque mixtura. Et
horum quidem, vt est corruptus saeculi genius, pars plerumque
potior. Ut succumbendum non raro praeceptoribus fore, nisi,
quantum taedii ac molestiae iis adsperrgit incorrigibilis improborum
pertinacia; tantundem decora & flexilis ad bona bonorum indoles
abstergeret. Horum numero TV mihi iure censendus es, SOHNI
PRAESTANTISSIME, qui, quoad apud nos studiorum caufa
commoratus es, a recto virtutis tramite deflexisti nunquam, TVI
similis fuisti semper, hoc est, probus, & reuera singulare quod-
dam Gymnasii nostri ornamentum. Quocirca tacite mecum sub-
inde sum gratulatus & optimis Parentibus, filium tantae exspectationis;
& Cognatis, nouum familiae decus; & Gymnasio denique
nostro, alumnus, qui praeceptoribus oblectamento, commiliti-
bus exemplo esse posset. Nunc ad Academias quando meditaris
iter, noluisti a nobis discedere, nisi, quod factitasti plus vice sim-
plici, in ipso etiam abitu, praeclarum aliquod specimen, publicam
subeundo arenam, edidisses, eo ipso ostensurus, quid patria, quid
familia

F.

familia splendidissima, de TE sperare possit. Faxit DEVS, studiorum TVORVM huc vsque auspex & moderator, vt, quae apud nos laudabiliter coepisti, ea in Academiis, codem duce, feliciter conficias, eumque praestes olim Ecclesiae virum, quem eximiae TVAE minantur dotes. Vale. Scrib. Affindiae, Die XIV.
Apr. clo1cccxxxiv.

AD PLAVSVS AMICORVM VOTI VI.

DVm tremendo cuncta miscet Belliger certamine,
Atque atroci concitata bella spirant flamme:
Non quiescit hic Minerua, docta pulsans classica,
Vt per arma non cruenta laus resurgat Pindica.
Tela sic inuicta torsit, Palma nostra, SOHNIVS,
Eusebiae comprobatus, Palladique Filius.
Perge, SOHNI, nam secundo condocetur omne,
Dante Te DEO futurum clariori nomine.

Haec gratulationis causa scripta
IOAN. DAN. HASTEN. Eslend.

Τιος της σοφίας σὺ λέγεσθαι ἀρά ὄφειλες,
Καὶ, φίλε, ἐργάζῃ πάντοτε τὴν σοφίαν.
Συζητῶν τολμᾶς οὐ, οὐδὲ ὅρις παραδείσω,
Ωδὲ ταραχεὶ μὲν πλάσμα θεῖ πρότατον.
Χρῆμα παλὸν. Σοφίας δτι ὑψώθεντες ἔσονται
Τοιότοις οὐδὲ πάντα τε πυθάμενοι.
Ἐνθυμρωτὸν καὶ ἀραγε εἰς κενὸν κατατρέξεις
Βραβεῖον λίψῃ δ τυχὸν ἀλλ' σέρανον.

Tauta συγχάίρων ἔγραψε
GEORG. HERM. WESTERMANN.
Gelsenkircha-Marcanus.

Necte

NEcte iam flores, mea Musa, nec te
SOHNIO doctam cathedram petenti,
Atque certantem quoque prosequare
Plausibus aequis.

Est decus gratum, quod Apollinare
Splendidum sertum caput ambit ipsi:
Adprobatus sic Heliconis inter
Montis alumnas.

Immo nunc sparget TIBI largiore
Mox adhuc vultu radios Apollo.
Hinc abi felix, auibus moueque
Castra secundis.

Aureo vultu labor alta scandat,
Ac apes cultu TIBI stent Hyblaeae:
Interim has plantas velut insepar nunc
Laetitia signa.

Hanc amicitiae tesseram posuit

PAVLVS IOAN. SCHMID,
Gotterswickerhamensis.

Nῦν τυχιῶς βαίνεις, φίλε, πρὸς τὴν Ἀκαδημίαν,
Στηριζεῖς κατὰ νέν γράμμασι τοῖς ἀγαθοῖς.
Νῦν ἔτι δεικνύεις ἄπαξ καλὸς δῶρα νόος σε,
Τῇ μὲν ἀληθείᾳ ἐν τῷ ἀκριβότερῷ ὀμνεῖν.
Ἐυλογένη Χριστὸς σπερδῇ σε καίρε δύος σου
Τὴν ἐνμεριαν καὶ μεγάλην σοφίαν.

Φιλίας ἔνεκα ἔγραψε

IOAN. HENR. DICKERSHOF,
Herbedensis.

Greylich muß es innigst laben
Ein beglücktes Eltern-Paar!
Wann sie solche Söhne haben/
Die besessen immerdar/
Sich als Söhne wahrer Tugend
Und rechtschaffner Frömmigkeit/
Darzutellen in der Jugend:
Dieses bringet Freudigkeit.
O so lacht/ die ihr gebohren
Diesen werthgeschätzten Sohn/
Den die Weisheit auserkören
Als zu ihrem Sitz und Thron:
Wie er das in schönen Proben
Zeigen wird als Respondent
Darzu ich Ihm denn von oben
Wünsche ein beglücktes End!
Weil Er aber sich will lenken
Zum berühmten Saal-Athen/
Wolle Ihn Jehova schenken
Leben/ Kraft und Wollergehn:
Dass er an dem Kirchen-Himmel
Einsten könne wie ein Licht
Leuchten diesem Welt-Gemünnel/
Welchem es am Licht gebricht.

Dieses sollte mit glückwünschender
Feder befügen

IOAN. PETRUS WVLFING,
Elberfeldensis.

Am surgit laetum tempus, Dilecta Sodalis,
Aduenit ille dies, qui TIBI clarus erit.
Scilicet ostendis mentem virtute micantem,
Dum Cathedram scandis, fortiter alta petens.

Gratulor

Gratulor idcirco coeptis, & pectore toto
Sors TIBI contingat candida, Amice, precor.

*Respondentem Per-eximum voto brevi,
sed prolixo affectu, prosequi voluit,
debuit*

FRID. HERMANNVS BECKER,
Stelensis.

Sicce, mi SOHNI carissime, pulpita scandens,
Doctum cum doctis gaudes certamen inire.
Euge! Tuis coeptis benedicat rector Olympi!
Dumque petunt gressus celeres Academia Tempe,
Quis habitant Musae Pieriusque chorus:
Hinc iter optatum votis det, Ioua, secundos
Successus studiis, conataque cuncta coronet.

Haec crasso texta filo, benuolae recordationis causa addidit

IO. FRID. ADOLPHVS WIEFFEL,
Gemensis.

Cher & fidele Ami, on n'a ici a feindre,
Que tu en defendant as fort bien vaincu.
Aussi par ton Adieu mes forces veullent s'eteindre,
Tu rends par ton depart mon esprit presque confus.
Tu vas de notre college pour aller & chercher
Les grands & riches tresors de l'U[n]iversité.
Tes travaux & progrés te feront donc trouver
Ce que d'accord commune, tu a bien mérité.

*Pour souhaiter tout bon-heur a son cher
Ami partant de chez nous, ecrivoit*

DIET. ARNOLD HVYSEN.

Go gehst du / Werther Sohn der Musen / nun von hier
 Und läßest uns zurück am Berge unten stehen:
 Du steigst getrost hinan nach jenem Lust - Revier/
 Wo der Apollo und die Musen sind zu sehen.
 So recht! Geh ununter fort! Minervens liebster Sohn!
 Den schönen Helicon durch Mühe zu ersteigen/
 Allwo der Lorber-Zweig dir endlich wird zu Lohn/
 Und wo die Musen dir der Arbeit Früchte zeigen.
 Geh hin/ und lebe wohl in jenem Saal-Athen.
 Gott segne deinen Fleiß! er segne dein Vermögen!
 Las die Theologie zu Kopf und Herz' gehn!
 So wirstu wie ein Baum in Christi Kirchen blühen.

LEOPOLDVS CASP. ISING,
 Lenneppa - Montanus.

LImina dum cathedrae scandis, Carissime SOHNI,
 Conatum laudo, gratans Tibi nobile coeptum.
 Quod bene coepisti, Musarum scandere sedem
 Pergas: scandendo noli cesare, sed insta.
 Ardua sic alacri gressu superabis amoeni
 Culmina Parnassi. Multum dilecte, VALETO.

Benevolae recordationis ergo scriptit
 IO. DAVID SYBEL, Essend.

Pvlita dum primum sublimia scandis, AMICE,
 Illustrique loco strenua verba facis:
 Gratulor ex animo TIBI, nunc haec carmina pangens,
 Carmina, quae nostri pignus amoris erunt.
 Sed quamuis multis iam soluam vocibus ori;
 Mens tanien hoc vnum dixerit: *Euge! bene!*
 At vnum doleo, quod nunc discedere nostris
 Moenibus & portis, suavis Amice, velis.
 Ecquid enim malim, quam consuetudine porro,
 Vti qua licuit, colloquioque frui?
 Moereo: sed quid ago? Cum, quo TE Rector Olympi
 Ire iubet, plenis gressibus ire pares.

Discedas

Discedas igitur faustus, saluusque recurras:

Adsit IOVA Tibi semper, Amice. VALE.

*Respondenti per-polito, ad Academias abitum
paranti, his se se commendat*

CAROLVS PHIL. LEHNEMANN,
Esseniensis.

Vous partez maintenant, vous quittés vos amis,
Je ne vous verrai plus, mon compagnon aimable,
Et on ne jouira plus de votre compagnie,
Qui nous étoit toujours si chere si agreeable.
Je ne l'oublierai, Ami, durante ma vie
Que j' ai parlé a SOHN étant le véritable
Et certain frere des Muses, & qui étoit vn fils
De Pallas & Minerve, mais je ne suis capable
De vous assez louer, & ainsi je vous prie,
Permettez de me taire, quand je vous aurai dis:
Vivez toujours content, mon cher & bon Ami.

*A l honneur de son intime ecrivit
d'ame sincere*

CHRETIEN CHARLE LOVIS
SPENER, Hanovien.

S uavis iam pridem mos est is cultus in orb E
Ommino & nostro tempore floret adhu C
Hic sibi gratentur laetis de rebus amic I
Nunc tibi quo grater, postulat officiu M
Ingentis Phoebi dum tentas visere castr A
Optime, non semper cernere Te poter O
Vt non ignoro. Sat erit tamen intime amic E
Id si permittunt fata futura feme L
Vt Te conseruet, voueo, supremus Iou A
Et preCor, Vt VIVas, sVaVIs aMICe DI V

Gratulabundus scriptit

IOAN. HENR. HVYSSEN, Essend.

Euge!

(44)

Evge! suum, SOHNI, natum Te singit Apollo,
Praemia sudoris praeparat iste Tibi.
Te pergent, Tuo dabit iste monilia collo,
Ac Tibi vincenti palma paratur ibi.
Sic Tibi complures poteris conquirere lauros,
Ad quas monstrabit docta cathedra vias.
Nunc abitu prostrata Tuo mea musa fileto,
Sat dixisse: **TIBI PROSPERA QVAE QVE FLVANT.**

Gratulabundus haec scripsit
FELIX ARNOLDVS SPENER,
Hanouiensis.

Specimen doctum Tibi gratulatur,
FRATER, & faustos abitus precatur
Plectra carpens Pieridum caterua
Flante Minerua.

Euge! tot votis mea iungo vota,
Exprimit quae mensque fidesque nota:
Det Tibi IOVAE facies amoena
Fata serena.


*Voto hoc προτερηπτικῶς Germanum
prosequitur Germanus*

IOAN. CHRISTOPHORVS SOHNIVS,
Meinertshagensis.

3d 1299



f
SB



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

D I S S E R T A T I O
D E

S E R P E N T E P R O-
T O P L A S T O R V M
S E D V C T O R E

Q V A M

A V S P I C E D E O

P R A E S I D E

M. IOANNE HENR. ZOPFIO
GYMNASII ASSINDIENSIS
DIRECTORE

D E F E N D E T

I O A N N E S A D A M V S S O H N I V S
MEINERTSHAGA-MARCANVS.

I N A V D I T O R I O M A I O R I

AD DIEM APRILIS c10CCXXXIV.
HORIS ANTEMERIDIANIS.



D V I S B V R G I ad R H E N V M,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.
Anno c10CCXXXIV.

